B. N. C.
FIRENZE
1082
2

1082. 2

1082

AI

VII.

MENZIN

Eleg. de Rifel.

Pev. Amor

DE INFELICITATE TERRENI AMORIS.

1082 2

BENEDICTI MENZINI

FLORENTINI

D E

INFELICITATE TERRENI AMORIS

LIBER ELEGIACVS

Ad Illuſtriſs. Equitem, & Virum eruditiſſimum

FRANCISC. MARIAM

NALDINIVM.

FLORENTIÆ. MDCLXXVIII.

Superiorum permiſſu.

1082
2
BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

LECTORI SALVTEM.

BREVE opuſculum ſcribimus, moribus quidem, & Chriſtianis auribus conſonum; quod tamen Muſarum veneres, & lenocinia non aſpernatur. Et quanquam in carmine pangendo frequens non fuerim, quouſque procedere poſſim non iniquum tamen eſt experiri. Quòd ſi quid moliri dabitur non ineptum, prudentes inde viri colligent, ad id genus exercitamenta voluntatem ſcribendi nobis, non autem facultatem defuiſſe. Paucula igitur, quæ edimus, ſiuè bona ſunt, ſiuè mala: ſi bona, hæc ſatis erunt ad vim ingenij noſtri probandam; ſin mala, & hæc quidem ſatis ſuperque fuerint. Vale.

BENEDICTI FLORENTINI

DE

INFELICITATE

TERRENI AMORIS

LIBER ELEGIACVS.

SÆue puer, quem cuncta timent fera bella mo-
uentem,
Torquentem tenera fortia tela manu;
Et quis fluctiuago regnantem Nerea ponto,
Diceris, & ſuperos ſollicitare Deos;
Cuius & imperium ſenſit quoque tertius hæres,
Pallida Tenarijs qui iuga flectit equis;
Improbe carminibus iam diuexabere noſtris,
Dum facit alternum docta Thalia pedem.

Ipſe dolos, fraudeſque tuas vlciſcar oportet;
Oh veniam læſo det mihi quisquis amat.
Nam, memini, quondam fallacia vincla ſubiui,
Et dedimus victas in tua iura manus.
Veſtra Dÿ pietas; duros confringere nexus,
Et potui celerem corripuiſſe fugam.
Quis neget ego mihi, pleno velut agmine in hoſtem
Prodire, & vires exeruiſſe meas?
Ibimus, & noſtræ fuerit noua gloria dextræ,
Quòd magnis auſis non facit illa moras.
Interea NALDINE ſuos natura receſſus
Cui dedit arcana noſcere poſſe fide;
Si vacat, hæc olim properata libentius audi,
Et iuuet Aſcræis incubuiſſe choris.

OCia, deliciæq; & Maſſica dona Lyæi
Idalio vires illa dedere Deo.
Illa cupidineis acuerunt ſpicula telis,
Admorunt ſæuas & magis illa faces.
Vrimur hinc miſeri, per vulnera mille venenum
Ducimus, & mentem ſauciat inde furor.
Hinc crebro ſuperos, hinc lamentamur & aſtra;
Aſtra quidem noſtris non operata malis.

Ah

Ah querimur fruſtra quòd nos deuicerit hoſtis;
Hoſtibus vt vincant ſcilicet arma damus.
Namq; vbi Theſſalicis errauit montibus heros,
Quo ſua Phylliridi gloria parta ſeni;
Non illum potuit fallax mulcere voluptas,
Cumq; ſua in iuuenem Cypride fuſus Amor.
Firmabat duro creſcentia membra labore,
Et decor eſt membris additus inde nouus.
Quin & formoſas fertur ſpreuiſſe puellas
Implicitus Studijs caſta Diana tuis.
Manala perluſtrans ſæuos modo proruit apros,
Aut timidos lyncas irrequietus agit.
Aut nemora, & ſyluas vmbroſa indagine cingit;
Aut celer Æmonio teſqua fatigat equo.
Sæpe etiam Oebalio vel diffidit acra diſco
Vel iaculo fines præterijſſe iuuat.
Vel celebrata illi fumoſa Palilia ſaltu,
Vel victa eſt volucri turba petulca pede.
Talibus illuſæ periere ſub artibus artes;
Et ſua promeritæ prẹmia laudis habet.
Victrices iuere illi per tempora lauri,
Nullaque de tanto palma relata viro.
Idalis imbellem dicta eſt damnaſſe pharetram,
Et fregiſſe dolens ſpicula turpis Amor.

Nunc

NVnc cibus, & vini nos largior obruit vſus,
Statq; coronatus nocte, dieq; calix.
Syrius exhorrens algentis frigora brumæ
Te videt alpinam ferre Lyee niuem.
Iamq, peregrinis pretium quoq; fecimus eſcis,
Quas vehit Eoo picta carina mari.
Amplius haud noſtris ignota Peruvia menſis,
Et iam quod placeat terra Sinenſis habet.
Vix dubiæ auſpicium famæ ſi fecerit aura,
Ad ſe pontigradas aduocat illa rates.
Protinus Auſonio deducitur anchora portu,
Concipiuntq; leues candida vela Notos.
Oh illa horribili deflagret fulmine puppis,
Præda ſit vndiſonis ludicra vorticibus.
Illidatq; vadis, atq; aggere cincta profundo
Torpeat, & cęcis hæreat in ſcopulis.
Illa & Tyndareos ſplendentia ſydera fratres.
Nec queat Arctoi cernere ſigna poli;
Quæ trahit extremo damnoſas litore merces,
Oh nimium noſtris officioſa malis.
Iam ſat erat ſedare famem vel ab Ilice nigra,
Iam ſat erat miſeram fonte leuare ſitim.
Deliciæ fuerant ſi preſſo ruſtica lacte,
Et foret Hyblæo menſa onerata fauo.

Arbu-

Arbuteos fœtus, pendentia mora vepretis
Prębebat caſto Nais amata viro.
Cinnama odoratis ſed nunc vectantur ab Indis,
De frutice & iuglans carpitur Aſſyrio.
Inde ſibi vires reparant Amathuntia tela,
Altius & miſero fixa manent iecore.
Stulte quid obſtupeas, dum nutrimenta fauillæ
Subdis, in ardorem proxima cuncta rapi?
Ætnæo iam nulla foret de vertice flamma,
Pabula ſi flammis deneget Ætna ſuis.

I*Am leges, natura, tuas dum culpat amator*
Proijcit in ſanctos non bona verba Deos.
Hi facile in teneros formarunt pectus amores,
Et prona in labem corpora noſtra ſuam.
Nec mihi de ſolido conflarunt ære medullas,
Aſpera nec gelido ſtat mihi corde ſilex.
Aſpice quæ fuerit formæ vis; inclytus auro
Et Salomon trabea cinctus amore perit.
Hoc perit igne pater, ſteterat cui celſa Syonis
Regia Ieſſæis nobilitata viris.
Et nos Hircanæ non preſſimus vbera Tygris;
Flectimur, & duro cedimus imperio.

Hæc

Hac ais, ah demens, qui noctu peruigil adſtas.
Sub triſti ducens tempora dura Ioue?
Nec glacialis hyems, nec te nymboſus Orion
Terret, & Æolia flamina miſſa domo?
Ah quoties primus crocea Pallantidos ignis
Te vidit duras ante iacere fores.
Et formidatis longùm perſtare ſub armis,
Et ferre inuiſa tadia pigra mora.
Dixiſti quoties Rerum ſpes vna mearum
Cynthia languenti, quam precor, affer opem.
Affer opem miſero, viden vt mala frigora lædant
Corpus; vt ipſa tremens effugit ore anima?
Illa tuos queſtus, & carmen inutile riſit.
Riſit & effuſas ſupplice ab ore preces.
Hæc tolerare potes vel ſi pluuialibus auſtris
Decidat aduerſo fæda procella polo.
Nec tibi ſubſultant trepida formidine fibra,
Si quando obliquus Iuppiter intonuit.
Ferre potes miſeros diſcrimina ſæua labores;
Et quereris vires non ſatis eſſe tibi.
Fortis & in Vitium tenui prȩcordia cera,
Atq; ais e fragili corpora ducta luto.
Quam malè de proprio cenſebis crimine iudex,
Qui tibi ſic, vitio vel renuente, faues!

Sed

Sed leuiora puta quæ diximus, accipe quod te
Fecerit in voces protinus ire meas.
Ipſe ego plorantem vidi per compita matrem
Lędentem tremulas vngue furente genas.
Illa & fœmineo complebat cuncta tumultu
Qualis in Æmonium Thyas adacta iugum.
Aut quale Heliades puerum Phaetonta ſorores
Clamarunt ripis nobilis Eridani.
Nec deerat canis iniuria ſæua capillis,
Et ſciſſa indicium palla doloris erat.
Mæſta exundantem fundebant lumina rorem;
Tundebant miſeræ pectora nuda manus.
Quis neget hoc matri? dulcem per vulnera natum
Audÿt immiti procubuiſſe nece.
Ille quidem tota iacuit ſpectabilis vrbe,
Planxit & inuiſam ſanguinolentus humum.
Quam viſu horribile ſtupidi ſimul oris hiatus,
Et ſimul exangui lumina plena metu.
Et demiſſa ſilet frons & riget horrida ceruix;
Nil non funeſtum turpe cadauer habet.
Vilia ſuffuſo maduerunt membra cruore,
Oblita & immundo eſt puluere cęſaries.
Quærenti cauſſam, quidam mihi talia reddit;
Occidit hic ſpurcæ captus amore lupæ.

Ecce

Ecce vides ; illi non mæſtum præfica dicit
Carmen , & extremum non pia turba vale.
Non illi cognata manus vaga lumina condit,
Membra nec exaphoro nobiliore locat.
Ordine non longo lictores funeris atri
Stant illi ; verſas nec tenuere faces.
Hoc habet exemplum qui vim non nouit amoris,
Monſtrato valeat liber vt eſſe malo.
Nam dum conueniunt temeraria turba procorum,
Concupit & noctem quilibet eſſe ſuam ;
Hinc rixa primum , mox iurgia; deniq; ferro
Sauijt intentans vulnera cæca manus.
Prælia purpureo Thaumantias igne diremit
Diffugere alij protinus , ille iacet.
Ille iacet , tua qui ſequitur dum caſtra , Cupido,
Hoc ſibi non nota miles ab arte tulit.

F*Inge quòd exitij ſperare pericula tanti*
Te vetet in crimen mitior ira Dei.
Quis poterit fando morbos nunc ire per omnes
Qui noua lethea ſemina fraudis habent?
Congeriem citius numerabo ſydera veſtram
Lactea queis cœlo ſemita cuncta nitet.

Aut,

Aut, quæ diuerſis vaſtum per inane figuris
Corpora voluuntur, dinumerem citius.
Dinumerem citius Sigeia ad litora fluctus,
Quos agit ex imis vnda refuſa vadis;
Quam quæ proueniant petulanti è Cypride damna,
Sint licèt externis ſæpe adoperta bonis.
Mille, miſer, poteris vitæ ſubijſſe pericla,
Mille tibi Veneris damna parabit opus.
Syphilis, & Podagra eſt, Paralyſis, Rheuma, cerebro
Illapſus membris qui fluit humor iners.
Tunc non Aſclepj, totaq; Machaonis artes.
Profuerint Coi non monumenta ſenis.
Non quem clara dedit magnum Verona poetam
Qui medica ſerpens corrigit arte malum.
Et quem laurigeris cingentem tempora ſertis,
Vel tibi non renuas, docte Catulle, parem.
Plurima formoſæ fient tunc vota Saluti,
Sed fuerit votis non reditura ſalus.

ÆGer erat ſimili tactus ſerpigine morbi,
Conſtituitq; bonis ponere Thura Deis.
Audierat Phœbum turbæ praeſſe medenti,
Atq; ipſum artifices ſæpe adhibere manus.

Allenet vt morbum patrios liquiſſe penates,
Ardet & hinc molles pergere ad Ionios.
Iam ſupplex aris ſacros imponit honores;
Iam latices libat; fundit & ore preces.
Phœbe pater, ſancto luſtras qui lumine terras,
Quo ſua ſunt claris munia ſyderibus;
Quo ſine non vllis vis ignea rebus ineſſet,
Non lux concreto purior igne foret.
Quo genus humanum, pecudes, pictaſq; volucres,
Cunctaq; camporum germina Phœbe foues;
Qui reparas vires, laxos qui comprimis artus,
Diceris & Stygium fallere ſæpe ſenem;
Et quem gramineis ſuccis voluere potentem
Pharmaca qui noſtris diluis apta malis.
Aſpice me, quem languor habet; cui corpora tabo
Infecit pellax, & male ſuada Venus.
Quòd ſi, diue, preces dura minus abijcis aure,
Aureus in ſacro conſpiciere tholo.
Riſit, & arcanæ proſpector mentis Apollo
Fruſtra ait, ah demens numina ſollicitas.
Si, quicquid morbi Phœbea demitus arte,
Crimine te rurſum reſtituiſſe iuuat.
Et verum dixit; quis enim non vera loquuntum
Credat, & à falſo ſemper abeſſe Deos?

Hæc

Hæc modo ſi memores, qui triſtia pocula Circes,
Sic bibis, vt gelidas Ceruus anhelus aquas;
Iam tibi, quæ vatum ſunt argumenta canentum
Ridendi haud fuerint fabula plena ioci.
Græcia carminibus viſa eſt luſiſſe, ſed intus
Quod valeat mentem flectere carmen habet.
Carmen habet, dulci poſſis quò nectare mores
Spargere ſyderea vir ſtatuende domo.
Carmen habet quanto cumuletur faſce malorum
Credula quæ in vitium turba proterua ruit.

OLim quum Podagra gratam ſibi quæreret ædem.
Errauit multis irrequieta locis.
Scilicet in rebus durum eſt anguſtia telum,
Ingeniumq; artes cogit inire nouas.
Camporum gleboſa petens, & florea rura
Aſpexit lutea culmina parua caſæ.
Ambigit, & dubio figens veſtigia greſſu,
Nunc pauidum profert, nunc reuocatq; pedem.
Quid faciat? Dolor hanc vrget; requieſcere tentat,
Sed piget in nuda ponere corpus humo.

Anguſti ſubeamus , ait , data limina tecti ;
Nam minor eſt vulgus delituiſſe pudor .
Vix ingreſſa videt duri inſtrumenta laboris ,
Armaq; non vllo ſquallida facta ſitu .
Tribulaq; , & traheas , pando & curuamine falces ,
Et pendere ſuis ſplendida aratra iugis .
Vt vidit , diris atrocibus exſecratur
Ipſa locum , & voti vix meminiſſe velit .
Iam remeare cupit longè quam liquerat , Vrbem
Atq; vicem ſortis rurſus adire nouam .
Nec ſpes vana fuit ; quà pars eſt clarior vrbis ,
Proſpicit excelſæ tecta ſuperba domus .
Stant ibi Mygdonio diſſecti marmore poſtes ,
Et foribus limen perſtrepit æriſonis .
Sidonioq; rubent ſatiata aulæa cruore ,
Totaq; barbarica regia ſplendet ope .
Acceſſit ; magnoſq; lares dum ſedula luſtrat ,
Iam ſua perſenſit gaudia pectus iners .
Protinus hæc ſecum ; Hic demum conſiſtere fas eſt ;
Aptior in tota non erit vrbe locus .
Protrahere in multam fas hic conuiuia noctem ;
Ducere & annoſo pocula plena mero .
Hic mihi formoſas dabitur ſpectare puellas ,
Et puer à Nilo porriget ipſe ſcyphum .

Hic

Hic ego prædulci; longùm ſatiabor amore
Ebria me circum ſtabit amica cohors.
Et mihi blanditias faciet; dabit oſcula labris
Oſcula queis omnem demat amaritiem.
Nec deerunt molles oblectamenta choraulæ,
Cynthia nec blandam pellere docta chelym.
Sic ait; at poſtquam cepit marceſcere luxu,
Sæuior in neruos ingruit atra lues.
Iam noua nodoſi geminantur vincula morbi;
Iam nequit ingrato crura leuare toro.
Imo in vaſe ſedet ſerò guſtandus amaror,
Nectareus quamuis ſparſerit ora latex.
Diffugere leui fallacia gaudia penna;
Ex illis reliquum nil, niſi quod doleat.
Pocula nemo bibit quæ ſcit nocitura palato;
Hæc tamen innumeri vel nocitura bibunt.

PRæterea plures primæuo in flore iuuentæ,
Queis erat ore nitor, purpureumq; decus.
Amiſere ſuæ donum peramabile formæ;
Obſedit roſeas tabida cruſta genas.
Pallidus & miſeris confecit corpora marcor,
Corpora decidua candidiora niue.

Non illi annoſæ limen tetigere ſenectæ
Nec Pylij norunt qui foret oris honos.
Imo illos vidi crudeli morte peremptos
Vilia præpropero tradere membra rogo.
Sæpius ah genitor dum natis oſcula libat,
Eſte, ait, afflictæ ſpes rediuiua domus:
Creſcite, & in viridi lętentur germina ligno
Quale ſolet pomis arbor onuſta nouis.
Dixit, at in viridi ſucciſa eſt germine planta,
Amplius in viduo nec fuit illa ſolo.

VIx ea fatus eram; coram ſtetit inclyta Pallas
Ambroſias fulua caſſide preſſa comas.
Haſtam dextra tenet; metuendam cuſpide ſæua,
Et clypeus leuæ nobile pondus erat.
Illa quidem liquidum demulcens aera voce;
Alloquio Vates non abigende meo;
Perge, ait, exitium facili monſtrare iuuentæ;
Sic tibi ſtet viridi Daphnide tectus apex.
Nunquid fœda Venus miſerorum corpora tantum
Læſerit? ah maius, quod male perdat, habet.
Partē animæ ætheream, in mentē graſſatur; & ipſas
Ingenij vires altius ire vetat.

Ah quota pars iuuenum nemoroſo in vertice Pindi
Et foret Aonijs gloria rara iugis.
Atq; audituras traherent ad carmina muſas
Carmina funereum non ſubitura diem.
Aſt illos Erycina ferox illexit amore
Iuſſit & immiti ſubdere colla iugo.
Conentur licèt aratos abrumpere nexus,
Nexus qui firmet fortior vſus erit.
Ergo ego quæ poteram clarum ſuper ęthera mentes
Tollere, Acidaliç vincor ab arte Deę.
Dixit & ante oculos velut indignata receſſit,
Perculit & vultus mobilis aura meos.
Et bene quod Virgo patrio citò reddita cælo es,
Telluremq; imam non reditura fugis.
Hic quoq; ſi degat cælo delapſa ſereno,
Hic quoq; virginitas vix modo tuta foret.
Sed tua ſacra fero Pallas; mihi gratior vni
Da tua nunc noſtrum iuſſa ſequatur opus.

A*H miſer inſano qui ſe committit Amori,*
Incidit & caſſes, ſaue Cupido, tuos;
Sordidus & vitijs, & probris vndiq; opertus.
Inde ſui labem contrahit ingenij.

No.v

Non ſatis innumeras ſæuire in corpora peſtes,
Ni quoq; in infandum mens ſit adacta malum,
Quid mihi Caucaſeo pendere Promethea ſaxo
Inuictumq; ſtupes tempus in omne iecur.
Et fixos manibus clauos, & fortia vincla,
Membraq; perpetuo torrida facta gelu?
His grauiora pati miſerabile vulgus amantum
Idaliæ cogunt ſceptra ſuperba Deæ.
Nulla quies animo, ceu quum mala ſaga ſuſurro,
Deuouitq; ſuis pectora carminibus.
Impia cantatas exurit flamma medullas,
Qualis in Oetea ſauijt ante pyra.
Hinc patrij ſubeunt animos obliuia cœli,
Nec ſedet in caſto pectore relligio.
Non pietas cordi, nulla eſt reuerentia legum
Cui Venus ardentes admouet ipſa faces.
Cunctorum inuentrix ſcelerum veſana libido
Ingenij atq; hominum maxima pernicies.

SEd tu, dius Amor, gemino de lumine lumen
Alme Deus, ſummi fons & origo boni;
Tu mihi diuino ſenſus tu flamine luſtra
Et mentem ſanctis ignibus vre meam.

Scili-

Scilicet hi poterunt felicem ducere vitam,
Quorum caſta tuo numine corda calent.

FINIS.

Placeat Domino Antonio Mariæ Saluini videre an iſto libro Elegiaco ſit aliquid contrarium Sanctæ Fidei, & bonis moribus, & referat. Datum 19. Aprilis 1678.

Alex. Puccius Vic. Gener. Flor.

Benedicti Menzinij Florentini Poëtæ ingenioſiſſimos Elegos cùm vidi atque perlegi, quibus eleganti ſane, ac felici ſtylo perſequitur infelicitatem terreni Amoris; tùm nihil in ijs reperi, quod bonis moribus aduerſetur, vel quod cum religione noſtra minimè conſentiat, ac ſi iudicium meum proferre libeat; vehementer equidem gauiſus ſum, Amorem ijſdem quibus vtitur telis eſſe confixum, Latina ſcilicet Elegia; cui auctor, dum veteres ſcriptores æmulatur,

cul-

cultum dedit, ac mollitudinem numerorum; dum verò Chriſtianis auribus conſulit, improbam eſſe noluit.

Antonius Maria Saluinus I. C. in Vniuerſitate Flor. Græcarum literarum profeſſ.

Imprimatur ſer. ſer.
Alex. Puccius Vic. Gener. Flor.

Imprimatur.
Cancell. Sancti Officij Floren.

Matthæus de Mercatis Aduocatus pro Sereniſs. Magno Duce Etrur.

Pag. 9. v. 3. quis lege qui. Pag. 10. v. 7. ego lege ergo.

99 959197

1082.2

32

Z
1082.2

1082.2